

π f
923



Q. N.

UNIVERSITÄT

B
P



Q. N. 351, 389.

T. 169

II f
923

Q. D. B. V.

Ex Philosophiâ morali,

DE

FACTIS

HEROUM EX-

TRAORDINARIIS,

DEO favente,

Consensu benev. Ampliss. Facult. Philos.

Publicè differet

P R Æ S E S

M. ERNESTUS HEINRICUS
WACKENRODERUS,

Rugianus,

RESPONDENTE

M. FERDINANDO CLEMENTE,

Novisol. Hungar. Alumn. Elect.

Ad d. 30. Martii, hor. 2. pomer.

In Aud. min. An. clō Ibc XXCVII.

ITTEBERGÆ, Literis SCHULTZIANIS.



100

571-



S. REGIÆ MAJESTATIS SVECIÆ,
SUMMI TRIBUNALIS, quod est
Wismariæ, vice-PRÆSIDEM

EMINENTISSIMUM

JOACHIM RÜDIGER
ab OWSTIN,

ASSESSORESQUE GENEROSOS,

GEORGIUM ab ENGEL-
BRECHT, Confilt. Reg. insuper
Directorem Gravisimum,

JOACHIMUM CHRISTIA-
NUM à KOCHEN,

&

HENNINGUM à VEITHEN,
PATRONOS SUOS OPTIMOS
MAXIMOS,

Dissertationis hujus submissa inscriptione
veneratur

Æternus Tantorum Nominum Admirator

ac

Cliens

M. E. H. Wackenroder.



I. N. F. A.

I Ametfi virtutum splendor
per se radiet, nec aliorum laudibus ornari,
mendacique colere pingi velit, juxtà effatum
Ovidii. (a)

Ipsa etiam virtus sibi met pulcherrima merces. Et
Claudiani (b)

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque latè

Fortuna securâ nitet, nec fascibus ullis

Erigitur, plausuq; petit clarescere vulgi.

Non abs re tamen erit, præclarorum facinorum, vel nudæ
commemorationi aliquantisper immorari, atque in ex-
emplum erigere alios, quos incitatus ire & ad virtutem
contendere, nescio quis æstus ostendit sæpius. Lon-
gum enim iter, inquit Seneca per præcepta, breve & effi-
cax per Exempla. Nam sicuti vitiorum ostensâ turpitu-
dine, fœdoque aspectu deterrentur animi, in melius non-
nunquam hac ipsâ ratione mutati, exemplo Lacedæmo-
niorum

(a) lib. 2. de Ponto.

(b) in Panegy. Mallii Cons.

niorum (c) fervorū ebrietate luxum & crapulas Adolescentum corrigentium. Sic clarissimorum Virorum facta virtutis amantes in exemplum rapiunt, & paria faciendi in animos hominum nunquam satis laudandum conjiciunt desiderium. Saluberrimo igitur consilio, Lycurgus (d) olim Spartanos monuisse fertur, virtutum Herculis imitatores essent, ne eum solum jactarent Conditorum. Sed obstat, nec sperare nec consequi posse quemvis, heroum indolem altiora subinde & inaccessa spirantium, quibus satis laudandis vel linguæ quandoque & calami non sufficiunt, quemadmodum egregius scriptor Franciscus Balsacus (e) de Ludovico XIII. memorat, que les plus vives couleurs de la Rhetorique seroient trop sombres pour représenter une vie si éclatante, que celle du Roy: Neque absolum videri dictum Philosophi Phavorini apud Gellium; (f) *turpius esse exiguum atque frigidè laudari, quam insectanter & graviter vituperari.* Verum enim verò absit timiditas, absit omnis trepidatio à virtutis & gloriæ studio! Athenienses (g) nomina heroum peplo (quod erat textile quoddam à Mulieribus intra quinquennium Numinibus oblatum) ad virtutis imitationem intexebant. Laudes igitur aliorum si non liceat æquare, probare saltè & longè latèque circumferre, operæ pretium omninò erit.

II.A

- (c) Piccart. obs. Histor. Polit. Decad. 9. c. 8. (d) Rhodigin. l. 2. Antiq. lect. (e) en son Prince p. 54. (f) lib. 19. c. 3. (g) Piccart. l. c. Decad. 1. c. 60. p. 40.

II.

A virtute heroica dicuntur Heroës. De quorum Existencia, cum detur virtus heroica, experientia insuper quotidiana, ut de Exemplis è S. Codice petitis nihil dicam, dubium relinquitur nullum. Derivatio vocis optima videtur ἀγάτῃ ἐρωτῶ ab amore, quia amore virtutis quam maxime insignes fiunt Heroës. Assensum præbet Keckerm. (a) Math. Grosser. (b) Isendornius. (c) Rudrauf. (d) Qualis & quam inepta Gentilium sententia fuerit de Heroum Essentia, quos ex parte semi Deos credebant, non operosè describam. Evolvatur Piccolomin. (e) Plutarchus. (f) Jamblichus (g) & Lucianus. (h) Nobis Heroës sunt, qui virtutibus extraordinariis, singulari Dei beneficio præditi, stupendos planè & inusitados effectus edunt.

III.

Ortum heroica opera primum Deo omnium Bonorum fonti debent, qui speciali influxu singulariter concurrento, improvisos instinctus & afflatus largitur. Modò excludamus theologicos motus, spirituales videlicet & mysticum impulsus, quas partes sibi vendicat Spiritus S. ad divina opera instigando homines. Vid. Libenthal

A 3 (a) Wei-

(a) *System. Eth. l. 3. c. 5.* (b) *in Colleg. Eth. Disp. XIII. part. 2. memb. 1. thes. 1.* (c) *Eth. Peripatet. lib. 2. c. 19.* (d) *Institut. moral. part. 3. c. 13.* (e) *in Philosoph. moral. gr. 6. c. 1.* (f) *de Placitis Philos. c. 8.* (g) *de Myst. Ægypt.* (h) *dial. mort. 3.*

(a) Weixelberg. (b) & Rudrauff. (c) In numerum ca-
sarum secundarum, & quidem remotè refert Rudrauffius
l.c. singulare temperamentum & aptam corporis disposi-
tionem, resultante exindè naturæ insigni excellentiâ;
Propinquiorem causam dicit probam institutionem &
sapientiæ studium; proximam Exercitium excellentium
actionum.

IV.

Circà Heroum agmina lustranda oboritur quæstio:
Num etiam pueri Heroës dicendi? Quod meritò nega-
tur à plurimis, quia plenario rationis Exercitio cum de-
stituantur, incapaces eos heroicæ virtutis, quoad actum
judicant; Quantumvis non negent, fomitem virtutum
heroicarum jam in pueris delitescere, ipsa tamen Hero-
um effecta, cum causa formaliter non insit iis, præstare
haud posse. Hinc quid de ebriosis, mente captis & furi-
bundis statuendum, cum ratione careant, cuius facile
patet. De Mulieribus, Servis & Spuriis, quos etiam
Heroës nonnunquam fuisse experientia docuit, aliter
sentitur.

V.

Proindè ut certus tractationis nostræ servetur ordo,
de singulis Heroicarum virtutum subjectis, singulatim a-
gemus;

(a) c. l. Exercit. 14. (b) Exercit. Practic. gen. 10. theor. 1. § 3.
(c) l. c. quest. 1.

gemus; Atque ne vagi & incerti per turmas Heroum fe-
 ramur, primùm eos contemplabimur, quos Divinum
 Numen ad inchoanda Imperia, primamque regiminis
 formam, singulari beneficio, heroico spiritu instruxit o-
 lim. Ad Judæos quod attinet, illi quoque, licet à Deo
 vel expressè mandante vel permittente, regimen novum
 constituebatur, vel immutabatur, nunquam caruere He-
 roibus, integram Reip. formam vel statuentibus, vel mu-
 tatam priorem & in pejus lapsam corrigentibus. Hisce
 enim Deus usus est Administris, per quos, quid fieri vel-
 let, effectum. Sic per Josuam Heroëm, ad debellan-
 dam Palæstinam, tot & tantæ victoriæ Israëlitis cessere;
 Per Saulum & Davidem fundamenta Regni jaciebantur,
 ut innumeros alios silentio præteream Heroas, quos sin-
 gularibus factis præstantes Sacra pagina tradidit. Cœte-
 ra summa totius Orbis Imperia per Heroas cœpere. Cy-
 rus ademptum Medis Imperium, ad Persas transtulit.
 Alexander M. heroico impetu brevi tempore totius Or-
 bis possessionem moliebatur. Heroi adfuere Heroës Par-
 menio, Seleucus, Ptolemæus, Lysimachus, Craterus &
 alii sapientia pariter & fortitudine conspicui Viri; Ro-
 mam virtus Horatii, Fabiorum, Marcelli, Scipionum &c.
 nobilitavit. Monarchia Romanorum I. Cæsaris operâ
 extitit; Germanicum Imperium à Carolo M. Heroë
 constitutum; Francia armis Pharamundi, excusso Ro-
 manorum Jugo, solium adornavit. Britannia Hengisti
 incredibili fortitudine Saxonibus cesit (a.) Odoacer Ru-
 gianus Italiam heroico furore oppresit. (b) Polono-
 rum

(a) *Polyd. Virg. Hist. l. 3.* (b) *Jornand. de Rebus Goth.* &
Puteanus in Hist. Barbar.

rum Gens primam Craco Duci gloriam debet, qui factis
clarus interfecto quoque Dracone, ut Heros describitur
à Cromero. (c) Palæstina recuperata ab Heroë Bulio-
næo Lotharingo. (d) Nec prætereundus videtur V Vil-
helmus Tello, libertatis Helvetiæ assertor egregius. (e)
Neque minori jure Heroum numero accensendi erunt
Batavorum libertatis Authores, Wilhelmus Auriacus,
Ludovicus Nassovius, & Mauritius. (f)

VI.

Enimverò non tantùm in novis Imperiis formandis,
extraordinaria Heroum facta observantur; quotiescun-
que à lapsu revocanda, restaurandaque fuere, Heroum
plerumque circà negotia hæc conspiciuntur labores. Eæ
enim regnorum sunt vices, uti monet egregius quidam
scriptor Gallicus (a) quibus nec ipsum pelagus mutabi-
lius est; Sceptra & coronæ cannarum instar ad proximum
flatum sequuntur. Non in antiquissima tempora rece-
dam, ut situ corrupta propemodùm & exesa Heroum ex-
empla proferrem. Tantus enim eorum, etiam post
Christum natum, abundat numerus, ut præcipuis eruen-
dis vix ingens sufficeret volumen. Romano Imperio,
Caligulæ, Neronis & Domitiani voluptatibus, multum
pristini splendoris decesserat, afflictaque passim & ægra
tantum

(c) lib. 1. (d) V Vilh. Tyrius lib. 1. 2. 3. 4. (e) Fos. Simlerus
lib. 1. de Rep. Helvet. (f) Thuan. l. 66. 68. Reidan. An-
nal. Holland. lib. 2.

(a) Bûssieres l. 2. Hist. Gall. cap. 4.

tanti corporis membra divulsa propemodum & distracta mansissent, nisi Trajani Herois inusitatâ virtute in antiquum robur convaluissent. Labefactatum deinde idem Imperium, factionibusque innumeris laceratum, sub Septimio & Alexandro Severis, Decio & Aureliano Heroibus, aliquoties respiravit. Recreatum postea immodicè à Constantino M. Heroë mox ægrum à Stilicone, dein Belisario & Narsete restitutum. Instauratum à Carolo M. Germanicum Imperium cum ruere inciperet, à Conrado Franco, Henrico Aucupe, Ottonem M. Frid Barbarossa & Rudolpho Habsburgico, Heroum præcipuis defensum. Hic Familiæ Austriacæ Autor, Illustrissimæ posteritati Heroicos infudit Spiritus, qui in Albertis, Maximilianis, Carolo V. & Ferdinandis se dedere conspicuos, quinimò hodiernum in Leopoldo Imp. in perniciem Ottomannici sanguinis æstant. Hispanorum injurias à Mauris quàm diutissimè perpeffas, depulit celeberrimus Heros Ferdinandus, appellatus Catholicus, immortalem à liberata Hispania nactus gloriam. (b) Franciam priorum Regum Socordiâ languentem, in vigorem & robur induit Hugo Capetus. Fractam postea & direptam Caroli VI. ignaviâ, Ludovicus armorum laude egregius, profligatis Anglis, recreavit. Quid dicam de Henrico IV. Magni cognomen ex virtute trahente? Cujus Parens futuram Filii magnitudinem præfagiens, Matrem jam foetum enixam invisit, dicens: Euge, Agna mea Leonem

(b) *Marian. de rebus Hisp.*

nem peperit. (c) Post obitum ejus Francia infinitis motibus agitata, ex sacro Ordine Heroem nacta est Armandum Richelium, primos Fortunæ Francicæ gradus aptantem; De quo Gramondus testimonium illustre perhibet hunc in modum: *Gallia neque antè habuit, neque postea talem habitura est, qui cum Illo in comparationem venire possit.* it. Priolus. (d) Nilil' tale ortum, nec oriturum. Stofchius (e) totus fere in laudes ejus abripitur. *Hodiè, inquit, Armandus Richelius, jactatur passim Francicæ Imperii Genius, Gallia Angelus Tutelaris, cujus sit nova Seculi fata condere, futura temporis Enigmatibus evolvere; &c.* Hujus Consiliis imbutus Cardinalis Mazarinus, Franciam Richelii jacturam immodicè dolentem virtute & consiliorum suorum acumine reparavit; Cujus præceptis inhaerens Ludovicus XIV. nescio in quam Spem, felici rerum successu provehitur. Sveciam quoque Heroës incoluere. Gustavus nobilis, captivus Christierni II. fugâ in Sveciam relatus, belli armorumque peritissimus, exemplo suo collapsam ferè Sveciam ad Spem regni erexit. (f) Sed quid de Heroem Heroë Gustavo Adolpho? Hic in Livonia, Borussia & totâ Germaniâ infinita fortitudinis trophæa reliquit, & quò testatior factorum, animique

pro

- (c) *Prefixe dans la vie de Henry le Grand, p. 17. Voyez, maintenant ma brebis a enfantè un Lion.*
- (d) *Hist. Gall. l. 1. c. 2.*
- (e) *Hort. Polit. p. 469.*
- (f) *Thuan. Hist. l. 22. Mytræus in Saxonia.*

pro Christi nomine ultima audentis memoria esset, cum
Sanguine Heroum more exhalavit animam. (g) Ca-
rolus Gustavus heroico quoque Sanguine Adolpho M.
conjunctus fuit, qui Danis, Germanis & Polonorum
Cohortibus terribilis, nunquam intermorituram na-
ctus est famam. Ad Filium ejus hodiernum potentissi-
mum Sveciæ Regem, hæreditatis quodam jure heroi-
ca virtus transiit; indicio fortitudinis specimen fuit in-
comparabile in prælio cum Danis in Scania, non sine
stupore maximorum Ducum præbitum. Ut denique
brevis nostra commemoratio fiat, ex Svecicis Castris
velut ex Eqvo Trojano in Germaniæ bellum prodierunt
strenui Duces, Heroum numero planè addicendi. Sic
Bernhardi Ducis Vinariensis, Gustavi Hornii, Torsten-
sohnii, Wrangelii & Königsmarckiorum nomina haud
absque veneratione leguntur audiunturque. Hæc de
Heroibus, natalium splendore maximâ ex parte præ-
claris, sufficiant.

VII.

Vulgaris & exiguæ Sortis homines, Heroës non-
nunquam fuisse exemplis constat. Ex sacris Gideonem
triturantem novimus, DEI jussu Heroëm induentem,
Jud. VI. v. II. In profanis Historiis Agathocles ex Fi-
gulo (a) oriundus, heroicis inclaruit virtuti-
bus.

B 2

(g) *Bapt. Burgus de bello Svec. lib. 1. § 2. Sec. 16. Seth.
Calvis. in Chron. Cluverus in Epit.*

(a) *Justin. lib. 22. per tot.*

bus. Spartacus Latro quondam in bello serviti contra Romanos in primo agmine fortissimè dimicans, quasi Imperator occisus est, ut Flori de eo verba sunt. (b) Tamerlanes Subulcus fuit, si Garzono fides habenda, sed heroico Spiritu ferox, Tartarorum Imperator solâ virtute factus est. Telephas Carpentarius Solium regni Lydorum, solâ fortitudine sternente gradus, occupavit. Valentiniani acerrimi Imperatoris Pater rei funariæ operam dedit. Joh. Zimisces ex Schola ob virtutem heroicam ad Sceptrum pervenit. Justinus Imp. ex Subulci maximâ vilitate, ad summam Imperii dignitatem ascendit. Quorum Seriem exemplorum multitudine, satis amplam Garzonus modò citatus (c) dedit.

VIII.

Quod in spurios & Nothos aliquando heroica Virtus convenerit, vel solum Jephthæ exemplum manifestavit. Neque immeritò Attalus Alexandro M. natalium sordes, teste Freinshemio objectavit. Plura adducere opus non erit, cum vel molesta vel odiosa forent ejusmodi exempla.

IX.

De Foeminis Heroinis hanc virtutem obscuriùs vide-

(b) *lib. III. c. 20. vid. Bernegger. ad Sveton. August. c. 3.*

(c) *In Theatro suo Discurs. XIX. p. 204.*

videtur concedere Aristot. lib. 1. Polit. c. 4. cum foeminam statuit animal læsum & per naturam impotentius viro. Aristophanes (a) foeminam vocavit feram inexpugnabilem. Simonides indignè in foeminas stomachum exoneravit, appellando eas Viri Naufragium, quietis impedimentum, vitæ captivitatem perpetuam &c. Verum enim verò cum foeminæ etiam ignaviam, oppositamque huic feritatem emendare possint, & in functione munerum viriliter fulgere, tantum abest ut ex Heroum numero excludamus, ut inseramus eidem potiùs Mulieres. *Nonne Heroicum est, verba sunt Ægid. Strauchii. (b) Quod Rahab omni neglecto periculo, in quod incidere potuisset, Exploratores Isræliticos hospitio exceperit & à Tyrannide Regis absconderit? Nonne Heroicum est quod Jael uxor Haber Cinai, Sisaram Principem Exercitus Jabin in gratiam Isrælitarum interfecerit? Nonne heroicum est quod olim Amazones contra quosvis hostes fortissimè pugnauerint, quò in pugna essent expeditiores, mammillarum alteram ipse combusserint, & se, & liberos, & maritos & Patriam in libertatem asseruerint? Perspicuum proindè est heroicam virtutem fæminis non tantùm inesse posse, sed reverà etiam in pluribus fuisse. Juditha Ebræa; Clœlia Romana Virgo, Camilla Regina Volscorum, Cleopatra Ægyptii, Artemisia Cariæ, non omisâ Semiramide, à Piccolomineo (c) inter Heroi-*

nas

(a) cit. Rudrauffio l.c. p. 369.

(b) in CC. Illust. Centur. post. Dec. 9. quæst. 3.

(c) De Virtute Heroicâ Gr. 6. p. 546.

nas memorantur. Civili motu flagrante Gallia non pauca mulieres armorum studio sese dedere, quas inter præstantissima fuit Domina de Miramont, quæ Anno 1575. lectis 60 Nobilibus VEXILLUM AMORIS duxit, quam Ducem ferè singuli Milites deperiverant, eâ tamen intactâ manente. (d) Cum sub Imperatore Conrado III. ad Orientem vindicandam undiqve populi confluxissent, multæ fuerunt Mulieres, quæ virtutem veterum Amazonum imitata virili more equis infederint, bellarintqve. (e) Martinus Ambisus in America Virginem anno 1509. captivam tenuit, 18. Hispanorum cade cruentam. Cambd. ad an. 1586. ipsa Regina Angliæ Elisabethæ verba Heroïnæ prudentia, adducit. *Adversus mala Virilem animum induo, ut quicquid evenerit, mors me imperatam non opprimat.* De Fœminis Heroïnis, igitur, cum sexcenta alia ferè Exempla reperiantur, satis verborum erit.

X.

Restat adhuc de signis Heroum pauca dicamus, Nam Heroum significatio non semper est eadem, usus vocis triplex datur (1. In sensu latissimo, quo designatur quilibet Vir, in quacunqve virtute, scientia & arte excellens. (2. In sensu latiori, & denotantur vel virtute morali, vel intellectuali vel Spirituali insignes. (3. In sensu strictio-

(d) D. Ambigne en son Histoire Tom. II. l. 2. c. 13.

(e) Sigon. l. II. ad ann. 1143. § 44.

Frictiori pro admiranda fortitudine & animositate acci-
pitur. Ultimum, de factis Heroum præsens nostra Tra-
ctatio quàm maximè respicit. Signa sunt vel prima-
ria vel secundaria. Ad hæc refertur temperamenti, in-
dolis & naturæ præstantia, quæ tametsi primis annis
non statim appareat, delitescens velut in cinere e-
jusmodi scintillis, adultâ tamen ætate, ex improvi-
so meridiana lux erumpit, quæ occultaverat hætenus,
clarissimè ostendens. Sic Themistocles Nicoclis Filius
Atheniensis vitiorum & ignaviæ labe infamis, tantis cor-
ruptam Adolescentiam emendavit virtutibus, ut Athe-
niensium imò totius Græciæ salutis virtus ejus heroica
deinceps fuerit. Titus Vespasiani Filius, asperam &
infestam vitii adolescentiam habuit, verum in adul-
tâ ætate tanta ejus enituit virtus, tantusque Heroem &
se pariter & hostes superandi incessit impetus, ut præ-
ter bellicam gloriam, mansuetudinis, humanitatis, & mu-
nificentia famam post se reliquerit. Adolescentiæ
enim regendæ infinita obstacula imminent, nec un-
quam liberius, quàm in prima ætate vitiorum solvun-
tur cupiditates. Proindè non in omnes conveniunt
laudes, quas Socrates (a) Paulo Presbyt. Episco-
po Constantinopolitano tribuit, quod ætate fuerit
juvenis, prudentia & consilio planè senex; (licet in
plerisque alijs, teste Cicerone pro M. Cœlio, studia
in adolescentia, tanquàm in herbis significant, quæ
virtutis maturitas, & quantæ fruges industria sint futu-
ræ,) cum detecta hætenus & pueritiæ nube veluti ob-
velata heroica virtus, in viris demum nitidissima pro-
deat,

(a) l. 2. c. 4.

AK T 923

deat, suoq; extraordinario instinctu, insperatisque do-
tibus animos hominum in stuporem figat. Præterea
Institutio diligens, arripiendiqve summa felicitas,
ad secundaria Heroum signa merentur referri, ut
nihil dicam de corporis, animi & memoriæ firmitate
encomiorum & honoris flagrantissimo desiderio, quæ
qualis sit extiturus, haud obscura indicia perhibent. Ad
primaria Signa, extraordinarius quidam naturæ in-
stinctus, per inexpectata quandoque & improvisa o-
pera in pueris adhuc monstratus pertinet. Nec non
Constantia & Felicitas admiranda, & quod maxime
Heroëm prodit, singularis DEI impulsus & affla-
tus, quid de Homine sperandum, non
diu patitur latere.

TANTUM.



(a) 1. 2. 3.

VON

mc



Pou TF 923, 014

ULB Halle

3

002 513 404







Q. N. 351, 380.

Q. D. B. V.
Ex Philosophiâ moralî,

DE

FACTIS HEROUM EX-

TRAORDINARIIS,

DEO favente,

Consensu benev. Ampliss. Facult. Philos.

Publicè differet

P R Æ S E S

M. ERNESTUS HEINRICUS
WACKENRODERUS,

Rugianus,

RESPONDENTE

M. FERDINANDO CLEMENTE,

Novisol. Hungar. Alumn. Elect.

Add. 30. Martii, hor. 2. pomer.

In Aud. min. An. clō Ibc XXCVII.

ITTEBERGÆ, Literis SCHULTZIANIS.



71.